


MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA
NAZ. CENTRALE
DI FIRENZE
1142
13

CXLII

18

NVPTIAE ILL. HERculis ESten. Et DIuæ REneæ Per SCipionē Bal- bum Finalensem.





SCIPIO BALBVS FINALENSIS OPICIO REMNIO. S.D.

HERCVLIS & DIVAE RENEAE Nuptias prosecutus sum paucis Carminibus in maxima tēporis parsimonia propter ingentes quibus uersor pro Re.p.actionū fluctus, tibiq; uelut auspici felicissimo quo prodiret Opusculum dicaui. Præsertim cū tu Archigrāmateus, & ut ueteres dicebant/Aures Oculiq; Principis nuncuperis. Nouit te is/qui tanq̄ Luminare fulgentissimum in altissima Pyramide positū per uniuersam emicat Italiam/Virum fide inclytum non minus aurea mente/q̄ ingenio liberali præditū. Ego uero propius inspexi te nullis in reponenda gratia fatigari laboribus/clementē/iustum/comem/urbanum/facilē,in quo uera corruscat gloria, ueræq; animi tui laudes copula uirtutum sunt coniugatæ:quarum merita connectere liberioris (si dabitur) erit ocii. Cœterum/ut quod instat agamus/Libellum hunc Herculi:quem delitias suas populus Ferrariēsis uocat/sicut olim de Gordiano dictum est a Romanis, exhibeas summopere rogo. Sic enim tutior euadā Censores: & subducti supercilii oblatratores,quorū linguæ cote liuo

ris acuminatæ (ut inquit Apollinaris) garire sciunt, loqui nesciunt. Vale ex Finali Cal. Martii M.D.XXIX.

AD REVEREN. HIPPOLYTVM ESTEN. ARCHIEPISCOPVM

Si mea mens non tam distracta laboribus esset
Hippolyte o magni uera propago Ducis,
Forsitan uberius celebrasset Pieris audax
Nobile coniugium, teq; tuamq; domum,
Sed bonus ignosces, quia tum maiora dabuntur
Cum fuerint studiis ocia facta meis.

SCIPIONIS BALBI FINALENSIS EPITHALAMIVM IN ILL. HERCVLIS PRIMOGENITI ALPHON. DVCIS FERR. ET DIVAE RENEAE NVPTIAS.

qVID SIBI VVLT PROCERES hic tantus in urbe paratus?
QVAE NOVA CORNIPEDVM fulgor declarat equorum
Gaudia? quam Laurum prætendit lecta iuuentus
Oſtentans ſe ſe nitidis in ueſtibus Auro?
Nempe aliquid magnum Lætis mens cōcipit orſis
Non ignara tamen: mendax ni fama uagatur
Dicta eſt Alcidæ claro de ſanguine coniunx:
PHOEBE ueni, ſed qualis eras cū Iuppiter altus
Rege celebratos duxit cedente triumphos:
Tuq; adſis o Bacche tuo redimitus honore
Tempora: Pegaſidumq; cohors uenerāda ſororū
Affer opem, Veneris thalamos: & ſacra canenti
Huc propera florum præcincte Hymenæe corollis
Lampadas & ſacris rutilantes concute flammis
Tu quoq; ſcande nouas arces Tritonia uirgo,
Et tecum flauis pulcher Cyllenius alis:
Annue blande puer mihi; tergeminæq; puellæ,
Auſpiciiſq; faue felicibus alma Dione:

Vosq; omnes quis sunt socialia uincula curæ.
Tuq; adsis(precor)in primis o Conditor orbis
Quem nos coniugii authorem/uerumq; fatemur
Esse deum,mentes sancto qui fœdere iungis.
Et mihi plectra moue. Iuuenis pulcherrimus unus
Estensi de gente satus nunc uirginis ignes
Hausit inexpertos, sensitq; Cupidinis arma.
ECCE fremens Sonipes magnis hinnitibus auras
Implet:& aduentum testatur candidus armos:
Herculis,id Lætis clamoribus obuia turba;
Excipiturq; ilari populis plaudentibus ore
Nomen aui referens,& ab illo tertius hæres/
Per magnam Hesperiam multo comitatus honore
Sedibus externas patriis concedit in oras
Regulus optatos ut iam sibi iungat amores;
Hospita sic petitur siculis Arethusa fluentis
Coniuge per cæcos subter labente meatus:
Nec cum ledeam seduxit troius heros
Corde magis saliente fuit/cupidusq; iocorum
Impiger alpinos iam iam transcende labores
Et Regem reuerenter adi:cui fata dedere
Terrarum longe sceptrum lateq; per oras
Cuiq; armis paret bellatrix Gallia fidis:
Ille tuam ostendet Sponsam:tu protinus omneis
In te conuertes oculos Procerumq; Ducumq;:
Sidereum aspicient iuuenem:qui mollibus annis

Ingentes animos in honesto corpore præfert:
Spectandum uultu pulchro: flauisq; capillis:
Quadratoq; habitu membrorũ: oculisq; uenustis.
Quo duce tyrrheni reges sua iura tuentur
Nunc contra herculeis externos uiribus hostes.
Gallia tota suo mirabitur orbe nitorem
Ausonium cultu: maiestatemq; uerendam
Stirpis ab Alphonso populos frænante superbos:
Artibus egregiis: cuius certissima semper
Sacra fides animos bellorum fluctibus auxit
Ancipites: & facta Ducum poscentibus armis
Gallica per numeros omneis euexit ad astra.
Quis locus? aut quæ nam regio tã imperuia restat
Quo non fama suis Pernix uolitauerit alis?
Extremi Aethiopes norunt, Garamantes, & Indi
Alphonsum: quo nil præstantius Itala tellus
Eduxit, maius ue decus, nulliq; secundum
Nomen habens primas laudum certamine partes
Gentibus effertur uicturum in sæcula felix.
Digna igitur species nodo fuit apta iugali
Quæ simul ætherno cæli cognomine gaudet,
Et patria, & genere illustris caput inserit astris
Connubio tali, ac titulis maioribus aucta
Circũfuso aditu geminas procurrit ad Arctos,
Hac equidem latio non est augustior ulla,
Nec melior claris atauis, nec origine celsa

Maior, Sors autem felicibus ipsa uigebit
Auspiciis, & sceptra urbis regnanda manebunt.
Ergo dies optatus adest, quem spargit ab alto
Auricomus Titan flammato corpore nobis
Hoc iá uota hominũ explẽtur, festosq; Hymenæos
Et Sponsam spectare licet, cui lactea colla,
Ornatumq; caput patrio uelamine gemmis
Luxuriat, tu magne nurum uenerare potentem
Dux Alphonse tuam, atq; illi casta oscula iunge.
O quæ grata suis ostendunt uultibus urbes
Gaudia, quos animos Ciues, quæ munera portant?
Mœnia cum Lepidi tenuit Renea, uiasq;
Herberiæ solidis transegit turribus, urbem
Antiquam ingreditur Mutinæ sublimis in alta
Lectica, multis ubi noctibus illa quiescens
Accubuit, tandem uariis erepta periclis,
Certatim tum dona ferunt simul oppida cuncta,
Magnanimiq; Duces, necnon populiq; potentes
Munifici ueniunt, hinc diues Hetruria misit
Staminis aurati telas, Venetusq; Senatus
Ausoniæ decus, & Romanæ gentis imago
Contulit attalicas uestes, preciosaq; dona
Qualia conueniunt Veneri: magnoq; Tonanti.
Postquam compositis rebus secessit ab urbe
Dux Alphonsus, iterq; tulit festinus ad undas
Eridani, Pupini paruo post tempore soluit

Amphitryonides tenera cum coniuge portu,
Atq; per angusti sinuosa fluenta Panari
Contendit remis patrias Finalis ad oras.
Tũ noua nupta domos pulchras: & mœnia pulchra
Miratur: fluuiumq; duas qui intersecat arces.
Interea Hippolytus summi Ducis altera proles
Aequaleis iuuenum primo sub flore cateruas
Colligit, & celeri conscendit remige pictam
Centaurum, cursuq; cito noua regna petentem
Reneam, fratremq; suis amplectitur ulnis.
Mox ratis Eridani remis urgentibus undas
Fertur oloriferi retro uelocior Euris,
Nuncia fama præit, stridens & tibia Lætis
Concutit Aethereas Hymenæis cantibus auras.
Prosilit Alphonsus siluis, quibus insula frondet
Amne coronata, & pulchram deducit in aulam
Ipse nurum, iam se uertente in sidera cœlo.
Postera ubi rediit decimi lux candida mensis
Vrbem exultantem læto clamore uidemus.
Iam funesta lues abiit, iam purior æther
Fulget, & aspirant fatis melioribus astra,
Concurrunt pueri, iuuenes, matresq;, senesq;,
Et trabeata cohors, Procerumq; grauissimus ordo
Excipit ingentem dominam, mediamq; reseruat,
Hærent obtutu cuncti, dum munera pendunt
Naturæ, pulchros oculos, & frontis honorem

Eximiæ, moresq; probos, animiq; uigorem.
Interea delubra deum tinnitibus auras
Aetherias implent, summis in turribus atra
Nocte faces uigilant, fora lata strepentibus ardent
Ignibus, horrificisq; sonis cælum intonat omne:
Cum tormenta graui quatiunt muralia bombo.
Vndantem Eridanum, fluctusq; fragore fatiscunt.
Præcipites flammæ uestigia longa trahentes,
Puluere nitrato uibrantur in ætheris oras,
Quin litui, curuæq; tubæ sua classica promunt,
Et chorus Orphæo modulatur carmina plectro.
Oblectatq; animos hominum Pæana canendo
Adducens sensus infractæ uocis amore.
Ipsa petit cultu regali templa, potentem
Et dominam mundi, Christumq; pio ore salutat,
Conspicit aligeri radiantia signa Leonis
Culmine conuexis suffixa penatibus alto,
Exquiritq; truces tanti certaminis iras,
Tangitur & parti dulcedine capta triumphi.
Inde forum repetit, qua magna palatia surgunt,
Effigiesq; Ducum fulgent, atq; atria lato
Limine longa patent, argento, auroq; renidet
Regia, quam filis cælant intexta superbis
Aulæa, & uiuis spirant animata figuris.
Textile opus uarium, & mirabile, quale per annos

Magna ſuos habuit uix Roma & pondere / & arte.
Tu noua ſublimes iam iam regina Penates
Ingredere, & geminas transfer ſacra limina plantas,
Nec feſcenini taceant conuitia uerſus
Miſta iocis, lætumqꝫ canāt Hymenæon, & adſit
Cōnubii fauſto moderatrix omine Iuno.
Frōde coronatum reuireſcit limen, & umbris
Populeis, quibus exundat Phaetontius amnis
Et quōdam Alcides manibus ſua tempora uinxit.
Aurea quin etiam magnorum inſignia regum
Splendeſcunt foribus, iunctoqꝫ adamāte, pilaqꝫ
Subſiliēs ales triplici diademate plaudit.
Succedit tectis Procerum comitata cohorte.
Quos inter primus Trotto de ſanguine Cretus
Alphonſus regni cuſtos / fidusqꝫ Miniſter
Agmen agit / ſolus qui cuncta negocia tractat.
Necnō & rerum ſocii quibus aura ſecunda eſt
Eutycus ille animi præſtans, & Opicius, alter
Et Cato prima tenent ſolennia munera ſceptri.
Prodit / & ingenuum iam demiſſura pudorem
Matribus excipitur claris, gaudetqꝫ per altos
Ire gradus, oculos ducēs per ſingula quæqꝫ
Picta pauimenta / atqꝫ operum ditiſſima calcat /
Tandem ubi peruentum eſt Solii ſublimis in ædes
Hic Charites adſunt nudæ / ſparſiſqꝫ capillis,

Et Genius, Veneresq; duæ, geminusq; Cupido.
Strataq; regifico genialia fulcra paratu.
Sed quid tanta iuuat producere gaudia uesper?
Exere iam cœlo tam fausti sideris ignes,
Vos Proceres (quia uesper adest) pulchræq; puellæ
Hora monet discedere, nox uaga pergit amores
Perpetuo dulces animis connectere nodo,
Nascetur pulchra hinc soboles florentibus annis
Ingentes simili quæ præferet ore parentes,
Hæc leges, hæc iura dabit, si fata tenebunt
Viuendi normam populis per sæcula longa,
Nos uero interea lætos optabimus annos
Estensumq; Ducum mores, & facta canemus.

τέλος

SVB INSIGNIBVS DVCALIBVS

Aspice quam claris niteat fulgoribus ales,
Hic gerit Estensum signa superba Ducum.

ADAMAS

Regius hic adamas ut ferrum temnit, & ignes,
Sic inuicta manent fortia Sceptra Ducis.

PILA

Fulmina trina Iouis, trinos uel signat amores
Hæc Pila, quæ trinas uibrat ab orbe faces.

¶ Impressum Bononiæ per Io. Baptistã Phaelem
M.D.XXIX.

MC